



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

De Ubiquistis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

autoritate quidam ad impediendam effusionem sanguinis in usum introduxerant panem consecratum intingere calici consecrato, & sic dare communicantibus. Istum usum prohibuit concilium, & communicaturis sub utraque specie utramque voluit seorsim dari.

*De Ubiquistis.*

510. **C**ONTRA hos multa adduci possunt. Modò sufficiat contra Lutheranum Ubiquistam: quòd eo ipso, quo admittit humanitatem Christi ob unionem cum verbo divino esse ubique; eò quòd divinitas ei unita sit; quòd inquam eo ipso tollat Eucharistiæ mysterium & usum. Nam in mysterio Eucharistiæ juxta ipsum ponitur corpus & sanguis Christi, item manducatur corpus, & bibitur sanguis Christi. Poni autem in pane & vino Christum, est priùs ibi non fuisse, esse autem nunc, & manducare est aliquid accipere in os, de ore deglutire, & in stomachum dimittere. Quod priùs ibi non fuit. Atqui juxta Ubiquistam jam ab ante corpus & anima Christi erat ibi. Ergo. Dicere, quòd priùs per consecrationem ponatur & manducetur Christus *Sacramentaliter*, est nihil dicere, ut paulò ante monui. Saltem Christus verè realiter & substantialiter nec ponitur nec manducatur, quia jam ab ante ibi erat. Quod tamen Lutherani mordicus contra Calvinistas tuentur. Et si nihilominus sive non obstante ubiquitate adhuc verè bibitur sanguis Christi

in calice, & manducatur corpus in consecrata hostia. Ergo etiam in quolibet cremato alioque potu bibitur Christus, & in quolibet farcinine manducatur. Demum si Iob unionem humanæ naturæ Christi cum verbo divino ubique præsentem humanitas est ubique præsentis. Ergo hoc non tantum verum est in statu *exaltationis* Christi, sed etiam *exinanitionis* Christi, quod tamen non sustinent Adversarii. Quia eadem ratio scilicet unio humanitatis cum divinitate militat pro utroque statu. Et sic Christus nec natus est, nec descendit ad inferos, nec resurrexit, nec ascendit in cælum, quia ut hæc omnia vera sint, ab ante ibi humanitas Christi fuisse non debuit. Et cum post Christi resurrectionem ejus divinitas fuerit in sepulchro, etiam ibi fuit Christus quæ homo jam à morte resuscitatus & vivus. Atqui hoc apertè pugnat contra Angelum dicentem Luc. 24. v. 6. *Quid queritis viventem cum mortuis? non est. NB. hic, sed surrexit.*

4to.

*Stabilitur Sacrificium Missæ contra Sectarios, quorum aliqui non valentes solvere argumenta probantia ipsos veros non habere Sacerdotes dicunt, in lege Christi nec dari Sacerdotem præter Christum, nec*

*Sacrificium præter id, quod cruentum semel*

*Christus in Cruce obtulit, etiam contra*

*Missam privatam varia effutiunt.*

**S**acrificium propriè dictum in genere definitur esse oblatio externa facta soli Deo, per quam